S. P. D. 15

Iam vir es, laudo, gratiasque mi Marce quam maximas
ago cum pro libro, tum maxime pro chordis, quarum certe
indigentissimus eram. Iam prorsus oblitum te mei arbitrabar,
quod tam diu sine ullis litteris cunctabare (non perpendens
omnes undique aquas congelatas) iam vero contrarium reperio
stas promissis. Ignoscas vero ~~quod~~ quod tam inhoneste duos
petierim fasciculos. Nesciebam, ita vivam, iam et fratrem
tuum Ioannem discere fidibus. Quod cum ita sit, nimium
etiam, etsi tantum dimidium, misisse videris. Sed cum
vos etiam indigebitis, par pari referam, vicissimque impertiar.
Iam quidem chordae hic nullae (Nec ~~etiam~~ enim si fuissent a te tam
audacter petyssem) ideoque tuae tanto mihi gratiores. Caeterum
mi Marce quid scribam? de Republica? de novis hisce
Ultraiectensibus seditionibus? ista meum superant captum,
neque aliquid scio. De Alemariensibus? tantundem, quid
ergo? quam ut te Deo opt. maxim. commendem? Valebis
igitur, et utrique parenti, fratribus et sororibus precaberis
a nobis laeta et felicia. Hagae-comitis 4o. Non. Mart.

CIƆ IƆCX

Tuus si quis alius

Constn: Huygens annor. 13

1610

10

Probo et honesto Iuveni —
Marco de Vogelaer Cognato
hi plurimum colendo,

Amstelredamum,

© Koninklijke Bibliotheek
KA 44, nr. 15
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/9